



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo S. Udalrici Episcopi Confessoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

longè ab illis absunt, qui convitiis ac calumniis infano furore proscindunt proximum! Hi nimirum neque se, neque alios sanctificant, sed semetipfos multis peccatis onerant, magnis periculis se committunt, &, quod pessimum, dum carpunt alios, mores proprios nunquam emendant. *Mense VI. Disc. 171. pag. 315.*

IN FESTO
S. UDALRICI EPISCOPI
CONFESSORIS;

I.

Operatus est in eis. Matth. 25.

Talenta multa accepit à DEO S. Udalricus, splendorem generis, divitiarum copiam, honorum spem, indolem optimam, ingenium doctrinarum capacissimum, & in his talentis fidelissimè operatus est, honorem Dei & salutem proximi procurando. Operari oportet, non solum credere; major enim fide est charitas, qua si amamus Deum, diligere debemus & proximum: & hæc lucrosissima operandi ratio est. Discamus ergo, quid impellere ad amorem proximi nos debeat, ut certum inde meritum referamus. *Mense VIII. Disc. 225. pag. 191.*

2.

2.

Super multa te constituam. Matth. 25.

Pro fideli talentorum dispensatione, copiosisque animarum lucris super multa constituit Udalricum Dominus, data ei amplissima potestate, contra quaslibet ærumnas Diœcesin suam omnésque cultores defendendi. Perpetuum hodieque miraculum cernimus, dum ex tota Diœcesi nocivum glirium genus exulat. Eadem illi vis est contra quævis mala frugibus terræ infesta. Quodsi exundantes fluvii nihil illi vivo nocere potuerunt, ut in vita illius legitur, poterit in cælis regnans nos ab aquarum inundatione periculum aut nocumentum patientes liberare, si animo verè pio eum invocemus. De pœna inundationum agit author *Mense IV. Disc. 113. pag. 393.*

3.

Super multa te constituam. Matth. 25.

Quod de SS. MM. Joanne & Paulo canit Ecclesia: *Habent potestatem claudere cælum nubibus, & aperire portas ejus: quia linguæ eorum claves cæli factæ sunt;* idem de S. Udalrico cum veritate dicitur. Sicut enim illi concessum est, nimias fluminum exundationes compescere, ita etiam obstinatham siccitatem resolvere potest in pluvias. Certè sacræ illius vestes in civitate Augustana nunquam sine fructu prolatae sunt, sæpiusque salutarem imbrem provocârunt. Si

p 2

Deus

Deus peccatis nostris iratus clauferit cælum, poenitentes nos & ad S. Udalricum fugientes pluuiam ejus meritis impetrabimus. De plaga siccitatis vide *Mense IV. Disc. 114. pag. 409.*

4.

Abiens fodit in terram. Matth. 25.

Ad cælum & beatam in illo æternitatem cum vocati simus omnes, atque ad id obtinendum talentis necessariis instructi, negotiari debemus utique pro anima, quæ illuc vult evolare; non intenti esse soli corpori, quod usque ad resurrectionem abscondetur in terra. Quàm stultè igitur agit, qui neglectâ animæ suæ curâ per intemperantiam servit corpori! Discamus, quàm necessaria nobis sit gustus temperantia. *Mense VIII. Disc. 238. pag. 403.*

IN FESTO

S. MARGARITÆ V. M.

I.

Simile est Regnum Cælorum homini negotiatori, querenti bonas margaritas. Matth. 13.

Quod Salomon Prov. 31. de muliere conjugata dicit: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas; id ille de sedula temporalium cura faminam commendans dixit: at multò*